

sum memor. Aliquando et e contrario tristitiam meam transactam laetus reminiscor, et tristis laetitiam.

CAP. XIV. DE RATIONE, QUA LAETITIA ET TRISTITIA AD ANIMUM ET MEMORIAM REFERANTUR.

Quod mirandum non est de corpore; aliud enim animus, aliud corpus. Itaque si praeteritum dolorem corporis gaudens memini, non ita mirum est; hic vero, cum animus sit etiam ipsa memoria. Nam et cum mandamus aliquid, ut memoriter habeatur, dicimus: vide, ut illud in animo habeas; et cum obliviscimur, dicimus: non fuit in animo, et: elapsum est animo, ipsam memoriam vocantes animum. Cum ergo ita sit, quid est hoc, quod cum tristitiam meam praeteritam laetus memini, animus habet laetitiam, et memoria tristitiam; laetusque est animus ex eo, quod inest ei laetitia, memoria vero ex eo, quod inest ei tristitia, tristis non est? Num forte non pertinet ad animum? Quis hoc dixerit? Nimirum ergo memoria quasi venter est animi, laetitia vero atque tristitia quasi cibus dulcis et amarus; cum memoriae commendantur, quasi trajecta in ventrem, recondi illic possunt, sapere non possunt. Ridiculum est haec illis similia putare, nec tamen sunt omnimodo dissimilia. Sed ecce de memoria profero, cum dico quatuor esse perturbationes animi: cupiditatem, laetitiam, metum, tristitiam, et quidquid de his disputare potuero, dividendo singula per species sui cujusque generis, et definiendo, ibi invenio quid dicam, atque inde profero, nec tamen ulla earum perturbatione perturbor, cum eas reminiscendo commemoro, et ante quam recolerentur a me et retractarentur, ibi erant; propterea inde per recordationem potuere depromi. Forte ergo, sicut de ventre cibus ruminando, sic ista de memoria recordando proferuntur. Cur igitur in ore cogitationis non sentitur a disputante, hoc est, a reminiscente, laetitiae dulcedo, vel amaritudo moestitiae? An in hoc dissimile est, quod non undique simile est? Quis